



# IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)









Photographic Sciences Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

CIHM/ICMH
Microfiche
Series.

CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.

Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

© 1986

## Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous

- [ ] Coloured covers/ Couverture de couleur
- [ ] Covers damaged/ Couverture endommagée
- [ ] Covers restored and/or laminated/ Couverture restaurée et/ou pelliculée
- [ ] Cover title missing/ Le titre de couverture manque
- [ ] Coloured maps/ Cartes géographiques en couleur
- [ ] Coloured ink (i.e. other than blue or black)/ Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- [ ] Coloured plates and/or illustrations/ Planches et/ou illustrations en couleur
- [ ] Bound with other material/ Relié avec d'autres documents
- [ ] Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/ La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- [ ] Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/ Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- [ ] Additional comments:/ Commentaires supplémentaires:

- [ ] Coloured pages/ Pages de couleur
- [ ] Pages damaged/ Pages endommagées
- [ ] Pages restored and/or laminated/ Pages restaurées et/ou pelliculées
- [x] Pages discoloured, stained or foxed/ Pages décolorées, tachetées ou piquées
- [x] Pages detached/ Pages détachées
- [x] Showthrough/ Transparence
- [ ] Quality of print varies/ Qualité inégale de l'impression
- [ ] Includes supplementary material/ Comprend du matériel supplémentaire
- [ ] Only edition available/ Seule édition disponible
- [ ] Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/ Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

| 10X | | 12X | | 14X | | 16X | | 18X | | 20X | | 22X | | 24X | | 26X | | 28X | | 30X | | 32X |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | | | | | | ✓ | | | | | | | | | | | | | |

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:

Seminary of Quebec
Library

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol —► (meaning "CONTINUED"), or the symbol ▼ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:

L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Séminaire de Québec
Bibliothèque

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole —► signifie "A SUIVRE", le symbole ▼ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 |

| |
|---|
| 1 |
| 2 |
| 3 |

| | | |
|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 |
| 4 | 5 | 6 |

# DOM. I. JULII.

## OFFICIUM PRETIOS. SANGUINIS D. N. J. C.

DUPLEX MAJUS.

### AD VESPERAS.

*Ant.* Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.

*Ps.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Ps* Laudate Dominum, omnes gentes.

*Ant.* Ego qui loquor justitiam et propugnator sum ad salvandum.

*Ant.* Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

*Ant.* Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

*Ant.* Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.

CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

FRATRES, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

HYMNUS.

FESTIVIS resonent compita vocibus
Cives lætitiam frontibus explicent,
Tædis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri et senes.

Quem dura moriens Christus in arbore
Fudit multiplici vulnere Sanguinem,
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.

Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit,
Adami integritas et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.

Clamorem validum summus ab æthere
Languentis Geniti si Pater audiit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.

Hoc quicumque stolam Sanguine proluit,
Abstergit macular, et roseum decus.
Quo fiat similis protinus Angelis,

A

Et Regi placeat, capit.
A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat; meta sed ultima
Tangatur, tribuet nobile præmium,
Qui cursum Deus adjuvat.
Nobis propitius sit Genitor potens,
Ut quos Unigenæ Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Cœli ad culmina transferas. Amen.

v. Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo.

r. Effecisti nos Deo nostro Regnum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Accessistis ad Sion, montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti, concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solemni cultu ita venerari, atque a præsentis vitæ malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo lætemur in cœlis. Qui tecum vivit et regnat.

*Comm. Dom. I. Julii.*

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.*—Christum Dei Filium, qui suo nos redemit Sanguine,* Venite, adoremus.

*Psalmus* Venite, exultemus.

HYMNUS.

IRA justa Conditoris,
Imbre aquarum vindice,
Criminosum mersit Orbem,
Noe in Arca sospite:
Mira tandem vis amoris
Lavit Orbem Sanguine.

Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quæ scatébat,
Germinavit flosculos;
Inque nectaris saporem
Transiére absynthia.

Triste protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Hæc fuit victoria.

O scientiæ supernæ
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Prædicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit pœnam optimus.

Quando culpis provocamus
Ultionem Judicis,
Tunc loquentis protegamus
Sanguinis præsentia;
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.

Te redemptus laudet Orbis
Grata servans munera,
O salutis sempiternæ

Dux et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente et Spiritu.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Ant.* Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

*Ps.* Quare fremuerunt Gentes, *ut in* 1. *Noct. Dominicæ.*

*Ant.* Factus agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis docurrentis in terram

*Psalmus* Domine, quid multiplicati sunt, *ditto.*

*Ant.* Judas, qui eum tradidit, pænitentia ductus, retulit triginta argenteos, decens: Peccavi, tradens Sanguinem justum.

*Psalmus* Conservame, Domine. *ut in* 2. *Noc. Dom.*

v. Redemisti nos,Domine.

R. In Sanguine tuo.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

LECTIO I.

[Hebr. c. 9.]

CHRISTUS assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est; ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.

R. Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

v. Nondum enim usque ad Sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes.

Exeamus igitur.

LECTIO II.

UBI enim testamentum est: mors necesse est intercédat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo

populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio.

R. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum, * Et ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.

V. Fide celebravit Pascha et sanguinis effusione; ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.—Et ait.

LECTIO III.

HABENTES itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est Carnem suam, et Sacerdotem magnum super Domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, [fidelis enim est qui promisit,] et consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum.

R. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

V. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

Ipse enim.

Gloria Patri.

Ipse enim.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Ant.* Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis cæsum.

*Ps.* Dominus regit me, *ad Primam.*

*Ant* Videns autem quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine justi hujus.

*Ps.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, *fer.* 2. *ad. Mat.*

*Ant.* Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

*Ps.* Exaudi, Deus, orationem meam, cum de precor, *fer.* 4. *ad Mat.*

V. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

R. Emundat nos ab omni peccato.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

LECTIO IV.

VULTIS Sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Ægypto, nocte media, Ægyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judæorum una cum illis periclis taretur, quia unus locucontinebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile, ut discas in veritate virtutem: Ira divinæ indigationis 'sperabatur, et domos singulas mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid ais Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuévit? Valde, inquit; non eo quand sanguis est, sed quia Dominici Sanguinis per eum demonstratur exemplum.

R. In timore incolatus vestri conversamini: * Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis.

V. Sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi.

Scientes quod.

LECTIO V.

NAM sicut Regnantium statuæ quæ sine causa sunt et sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus, anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem; ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit: non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes atque aditus pervideret, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem Typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus Sanguinis scrutare virtutem? Volo; unde primum concurrit inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit: Latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, approximat miles, latus lancea percussit,

et exinde aqua fluxit et Sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis et aqua; sed, exiit aqua primum et Sanguis: quia primum baptismate diluimur, et postea mysterio dedicamur.

R Empti esti pretio magno: * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

V. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Glorificate.

LECTIO VI.

Latus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thésaurum præclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judæi ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere Sanguis et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum aquam illam et Sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria, quæ ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Eva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus et et de ossibus ejus sumus, latus videlice illud significans. Nam sicut de illo latere Deus fecit fœminam procreari; sic et de suo latere Christus aquam nobis Sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

R. Commendat charitatem suam Deus in nobis: * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est

V. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi érimus ab ira per ipsum.

Quoniam.

Gloria Patri.

Quoniam.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Ant.* Exivit ergo Jesus portans Coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

*Ps.* Ut quid Deus repulisti in finem, *fer.* 5 *ad Mat.*

*Ant.* Et bajulans sibi Crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ, locum: ubi crucifixerunt eum.

*Ps.* Domine,Deus salutis mæ, *fer.* 6 *ad Mat.*

*Ant.* Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus

militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et aqua.

*Ps.* Deus ultionum Dominus, *fer.* 6 *ad Mat.*

v. Christus dilexit nos.

r. Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

In illo tempore, Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 120 in Joan.]

Vigilanti verbo Evangelista usus est, non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aud quid aliud, sed aperuit: ut illic quodam modo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille Sanguis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, hæc et lavacrum præstat et potum. Hoc prænuntiabat quod Noe in latere Arcæ ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit; nt inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius, quid vulnere isto salubrius?

r. Hic est qui venit per aquam et Sanguinem: Jesus Christus, * Non in aqua solum, sed in aqua et Sanguine.

v. In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.

Non in aqua.

LECTIO VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviebant. Sed redempti sunt a captivitate: vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit prétium. Fudit Sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quæritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenietis quid émerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi to-

tus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

R. Prædestinavit nos Deus in adoptionem Filiorum per Jesum Christum: In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus.

V. Remissionem peccatorum secundun divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.

In quo habemus.

Gloria Patri.

In quo habemus.

*Lectio nona de Homilia dom. I. Julii.*

Te Deum laudamus,

## AD LAUDES
### ET PER HORAS.

*Ant.* Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt?

*Ps.* Dominus regnavit, *cum reliquis.*

*Ant.* Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

*Ant.* Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte.

*Ant.* Et ipsi vicerunt draconem propter Sanguinem Agni, et propter testamentum Verbi sui.

*Ant.* Beati qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

### CAPITULUM.
[Hebr. c. 9.]

FRATRES, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

### HYMNUS.

SALVETE, Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.

Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Jesus in Prætorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat cruoris guttulas.

Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit Spinea:
Clavi, retusa cuspide
Pedes manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exilit.

Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur:
Suique Jesus immemor,
Sibi nil reservat Sanguinis.

Venite quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat, mundabitur.

Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu.

Amen.

V. Justificati in Sanguine Christi.

R. Salvi erimus ab ira per ipsum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dominus: Et videbo Sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti; concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solemni cultu ita venerari, atque a præsentis vitæ malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo lætemur in cœlis. Qui tecum vivit et regnat in.

*Comm. Dom. I Julii.*

## AD PRIMAM.

*In Responsorio brevi dicitur* V. Qui tuo nos Sanguine redemisti.

## AD TERTIAM.

*Ant.* Hi sunt, qui venerunt.

*Capitulum* Fratres, Christus, *ut supra.*

R. *breve.* Redemisti nos, Domine, * In Sanguine tuo. Redemisti.

V. Ex omni tribu, et linqua, et populo, et natione.

R. In Sanguine tuo.

Gloria Patri. Redemisti.

V. Sanguis Jesus Christi Filii Dei.

R. Emundat nos ab omni peccato.

## AD SEXTAM.

*Antiphona* Ideo sunt.

CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

SI sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ab serviendum Deo viventi!

R. *breve.* Sanguis Jesu Christi Filii Dei * Emundat nos. Sanguis.

V. Ab omni peccato.

R. Emundat nos.

Gloria Patri. Sanguis Jesu.

V. Christus dilexit nos.

R. Et lavavit nos in sanguine suo.

## AD NONAM.

*Antiphona* Beati.

CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

ACCIPIENS Moyses sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

R. *breae.* Christus dilexit nos, et lavit nos * In Sanguine suo. Christus.

V. Et fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo et Patri.

R. In Sanguine suo.

Gloria Patri. Christus dilexit.

V. Justificati in Sanguine Christi.

R. Salvi erimus ab ira per ipsum.

*In secundis Vesperis, Antiphona, Psalmi, et Hymnus, ut in primis ; sed loco ultimi Psalmi dicatur,* Lauda, Jerusalem.

V. Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni.

R. Quos pretioso Sanguine redemisti.

*Ad Magnificat, Antiphona*

Habebetis autem hunc diem in monumentum : et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.

*Oratio* Omnipotens, *ut supra.*

*Comm. Dominicæ occur.*

ira per

*s, An-*
*Hym-*
*ed loco*
r, Lau-

sumus,

nguine

*phona*
hunc
m : et
mnem
onibus
no.
ns, *ut*

*cur.*

Imprimerie d'Augustin Coté et Cie.

